UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bartolvs A Saxo Ferrato In primam Codicis Partem

Bartolus

Lugduni, 1567

Qua[nd]o Impe. inter pup. & vid.

urn:nbn:de:hbz:466:1-96119

Visual Library

liandi propria authoritate, innuitẽ eſſe ipſo iure priuatum iure
ſuo. Itẽ adde quod vbi ſunt duo verba ſimul iũcta, puta irritum ⁊
mane, importent ipſo iure licet adijciantur verbo futuri temporis,
vide Iaſ. in l. non dubium. in x. notabili. C. de legi. vbi etiam contra
regulam adducit vnum textum. ſuper quo relinquit cogitandum.
CLAV. DE SEISS. ¶ Similibus. Scilicet in auth. habita. in
* glo. j. ne fil. pro pat. ⁊ in l. j. in gl. j. 𝔖. ne lice. potentor. ⁊ vide latius
Panor. in c. ſi diligenti. de for. comp. ⁊ late Aret. in c. ij. de fo. comp.
P. P. A. V. P. ¶ Sententiabitur. Uide Abba. latius declarantem
c has practicas in c. ſi diligenti. de fo. comp. Et pro ſcda pract. ꝙ co-
ram eodẽ iudice poſſit peti vt pars puniatur, dicit Bar. hic ⁊ Ab.
ibi vide etiam Alex. conſi. cix. poſt princ. in verſi. pro hoc etiã facit.
b POMA. ¶ Hic aduerte. Nota ergo, ꝙ in huiuſmodi remedijs,
quis dicitur reus, ⁊ propterea dixit dom. Alex. conſi. ſuo. ciij. vol. v.
quod talia remedia intentabit coram iudice ſuo, ⁊c.

LEX VI.

a **Magiſterie** [a] Magiſter militum poteſt cognoſce-
re etiam ſummarie inter milites. h. d.

ADDITIO.

a ALEX. ¶ Magiſterie. Uide quod per iſtum text. notanter dicit
Bald. hic in fi. ⁊ not. ⁊ limitat Alex. in l. magiſtratibus. ff. eo.

LEX VII.

1 ☞ Collegia approbata poſſunt dare ſuis creditorib. iuriſdictionẽ.
2 Collegia approbata poſſunt facere ſtatuta de his, que pertinent
ad eorum iuriſdictionem.
3 Negotiatores quam militiam exercere poſſunt.
5 Priores artium an poſſunt cognoſcere de cauſis publicis.
6 Rectores artium, non habent iuriſdictionem, niſi in his que per-
tinent ad eorum artem.
7 Uniuerſitas ſcholarium eſt approbata, ⁊ poteſt habere rectorem.

Periniquum. Hec eſt bona l. Qui ſunt de
aliquo collegio ratione pro-
a feſſionis, iuriſdictionem eius qui pre eſt collegio, [a] recu-
1 ſare nõ poſſũt. h. d. ¶ † No. ex hac l. ꝙ eſt multũ mẽti te-
nendũ, ꝙ collegia approbata poſſunt dare ſuis rectorib. iuriſdictio
2 nem ordinariã. ex hoc no. † ꝙ collegia approbata poſſunt facere in-
ter ſe ſtatuta de his que pertinẽt ad eoꝝ iuriſdictionẽ. dixi in l. oẽs
populi. de iuſti. ⁊ iu. ¶ Op. dici † hic, ꝙ illi qui ſunt de negotiatiõe,
non habẽt exceptionẽ occaſione militie, ⁊ ſic innuit ꝙ poſſunt eſſe
milites. Cõtra. l. j. negotia. ne militẽt. in rubro ⁊ nigro. li. xij. Sol. intel
3 lige hoc † de quadã militia inermi. nõ eñ iurabant ſe nõ euitaturos
mortẽ pro republica, ſed aliam militiã aſſumebãt, vt faciũt milites
4 Floren. qui militãt † cauſa honoris, nihilominꝰ mercantiã exercẽt,
5 ⁊ dicunt populares. ¶ Op. ſecũdo, † qꝛ ſecundũ hoc iſti priores ſeu
b capitanei artiũ [b] poſſent cognoſcere de pub. criminib. vt ibi, tã pu-
blicis quã in priuatis, ⁊c. ꝙ videtur cõtra l. j. ff. de offi. eius cui mã.
eſt iuriſ. vbi hoc cõceditur ſolũ iudicib. maiorib. Sol. dicit gl. intel-
lige hic publicis. i. ſocietatib. vel collegijs illius. ⁊ ꝙ dicit priuatis,
intellige quã habent inter ſe illi de illo collegio, vel ſocietate, in his
que pertinẽt ad eorũ artẽ, ⁊ ita obſeruat cõſuetudo. ⁊ vide iſtã gl. ⁊
no. Iſtud etiã tenet Inno. de off. or. c. cũ ab eccleſiarũ. Et ſic iſti † re-
6 ctores artiũ, non habẽt iuriſdictionem, niſi in his, que pertinẽt ad
c eoꝝ artẽ, [c] ⁊ in illis poſſunt facere ſtatutum, ⁊ nõ in alijs. ¶ Querit
gl. vtrũ vniuerſitas ſcholariũ poſſit habere rectorẽ: Gl. videtur di-
cere ꝙ non, quia text. dicit qui aliquas profeſſiones, vel negotiatio
nes exercet, ſed ſcholares non profitentur, vel negotiantur, ſed ſub
profitẽtib. addiſcũt, vnde doc. bene poſſunt habere rectorẽ, qꝛ pro-
7 fitentur. Uide gl. tuam, que hoc dicit, doc. tenet quod † vniuerſitas
ſcholarium ſit approbata, ⁊ poſſit habere rectorem. per auth. ha-
bita. j. ne fil. pro parte. ita obſeruat conſuetudo. Hic non ſunt alia.

ADDITIONES.

a ALEX. ¶ Qui preeſt collegio. An autem iſte electus ſit a ſupe-
riore confirmandus. vide Alex. in l. more. cum ſeq. ff. eo. tit.
b ALEX. ¶ Capitanei artiũ. Et an priores artiũ ſtatutis ſuis poſ-
ſint adijcere penas, vide que dixi in l. ij. ff. ſi quis ius. di. non obtẽpe.
c P. PAV. P. ¶ Eorum artem. Et ita obſeruat conſuetudo. Uide d.
Fran. conſ. xxvij. in princ. ⁊ vide omnino alia que habes ad Bar. in
l. fi. ff. de excu. tut. vide multa per. Iaſ. in l. omnes populi. ff. de iuſt. ⁊
iu. ⁊ in ij. lect. ⁊ in l. ſi quis ex argentarijs. §. rationem. ff. de eden. in
iij. ⁊ iiij. not. dicit quod habeat iuriſdictionẽ non ſolũ in ſpectãtib.
ad artẽ ſed etiam in dependentib. ⁊ connexis ab eis. Item ꝙ intel-
ligatur in ſpectantib. ad artem vide Iaſ. in l. age. C. de tranſ. Et de
capitulis ⁊ alijs colle. quod non poſſint ſtatuta condere, vide per
Fel. in c. cum omnes. de conſt. ⁊ in c. cum acceſſiſſent. eo. titu. Barb.
late conſ. xxix. vol. iij. vbi etiã quid ſi eſſent confirmata a ſuperiore.

Quando Imperator inter pupil. vel vid. Rub. XIIII.

LEX VNICA.

1 ☞ Iuriſdictio ordinaria recuſatur propter miſerabilitatem per-
ſonarum.
2 Quis quando poſſit trahi extra prouinciam.
3 Miſerabiles perſone, non poſſunt trahi extra prouinciam.

a **Si contra pupillos.** [a] Perſone mi-
ſerabiles nõ
poſſunt trahi ad ius extra prouinciam, ſed ipſe alios
1 trahere poſſunt. hoc dicit. Not. † ergo caſum, in quo
iuriſdictio ordinaria recuſatur, qꝛ miſerabiles per-
ſone faciũt hoc authoritate huiꝰ l. Aliũ caſuʒ vidiſtis in l. j. j. ſi qua
cunque predi. po. ¶ Oppo. ⁊ videtur quod hoc ſit de iure commu
2 ni, quod † quis non poſſit trahi extra prouinciam, vt in authen. vt
diffe. iudi. §. j. Fateor quod hodie eſt correctum, quia generaliter
nemo trahi poteſt extra prouinciam ſuam, niſi iudice prouincie ne
gligente, tamen hodie ſi iudex prouincie negligeret, non poſſent
3 trahi miſerabiles † perſone extra prouinciam, ſed debet cauſa dele-
4 gari in prouinciam huius l. authoritate. ¶ † Quero que dicantur
b miſerabiles perſone [b] tex: ponit, pupilli ⁊ vidue, ⁊ Inno. in ca. ſigni-
5 ficantibus, de offic. deleg. † Uiduas intellige etiam que nunquam
habuerunt virum. Nam vidua dicitur queuis mulier, que non ha-
bet virum, ⁊ alie perſone infirme. Breuiter, puto iudicis arbitrio
relinqui, ⁊c.

ADDITIONES.

a POMA. ¶ Si contra pupillos. Ultra priuilegium, quod habet
miſerabilis perſona ex iſta. l. vide etiam aliquid quod ponitur in c.
j. de poſtu. aliud quod ponit gloſſ. ij. in capi. licet extra de cenſi. ⁊ ibi
Pan. aliud quod ponit Inn. in c. ſignificantib. de offic. deleg. quod
non valet reſcriptum impetratum contra miſerabilem perſonam
niſi facta mentione de eius miſeria per text. noſtrum hic. ſed illud
ibi reprobat Im. quia tex. noſter non probat hoc. Uide Car. conſ.
cxxxvj. Item aliud ponit Anto. de But. in l. licet ex ſuſcepto. de fo.
compe. ſed illud ibi reprobat Pan. in verſi. ij. non placet. Itẽ aliud,
quod ponit in c. ex tenore. de fo. compe. ⁊ ibi vide Mar. in cap. j. in
vlt. not. ⁊ aliud quod ponit Bartol. in q. ventilata inter glorioſam
virginem Mariam, ⁊ demonem. in verſicu. dixit aduocata, ⁊ aliud
quod ponit in l. iiij. §. hoc autem iudicium. in iiij. oppo. ff. de damn.
infect. an autem his priuilegijs poſſum renunciare, vide gloſſ. hic
hic in verb. excedere. que videtur ſentire quod non, ⁊ vide etiam
Panor. in cap. ex parte. B. de for. compe. ⁊ Barb. in cap. iij. de offi.
delegat. ad fin. ⁊ Felyn. in dicto capi. ſignificantibus. vide Anto. de
Butr. conſil. xliiij.
P. PAV. P. ¶ Si contra pupillos. Et hic vna gl. ſingularis quod
etiam ſi iſte perſone renunciarent huius l. priuilegio non valeret,
quam ſequitur ⁊ commendat Feli. in c. ſi diligenti. de foro compet.
in illa materia quomodo quis poſſit iuri ſuo renunciare, colligens
quod vbi conceditur aliquid alicui miſerabili perſone, ⁊ in miſeri-
cordiam, non poteſt per eum cui conceditur, renunciari. Item an
priuilegium huius. l. cõcedatur indiſtincte pupillis ⁊ viduis, etiam
ſi ſint diuites. Alber. hic tangit, ſed non firmat. Spec. in titu. de in-
ſtru. editio. §. nunc aliqua verſicul. ⁊ ſcias. el ij. tenet quod ſolum in
pauperib. quia tunc ſunt miſerabiles perſone, vt per Alexan. conſ.
xxj. ad fin. volu. j. alle. Imo. in ca. ſignificantib. de offic. deleg. quem
vide. ⁊ clare non firmat. Uide Decium in c. ceterum. de iud. quia vi
detur velle contrarium Paul. de Caſtr. in iſta rub. idem ſentit bene
probatum in iſto tex. in fin. in dictione, alij. Et licet rub. generaliter
loquatur, non eſt inconueniens eam reſtringere ad pauperes, in
quibus militat ratio miſerationis, ſuper qua fundatur iſta deciſio,
vt per Bal. ⁊ alios hic. Et ad hoc pondera text. in c. ſuper quibuſ-
dam in fin. de verb. ſign. qui etiam generaliter loquitur. Reſtringi-
tur igitur ad pauperes per canoniſtas in d. c. ſignificantibus.
* CLAV. DE SEISS. ¶ Non poſſunt trahi. Imo dicit ſingula.
Bald. in c. de cauſis nu. 26. de offic. deleg. quod iſte miſerabiles per
ſone nõ poſſunt iuriſdictionẽ prorogare: quia non poſſunt eorum
priuilegio renunciare.
b ALEX. ¶ Miſerabiles perſone. Uide Imo. in cle. j. de conſti. do.
An. in c. licet de cenſi. ⁊ late do. Abb. in c. ſignificantib. de offi. dele.
⁊ vide Spe. in tit. de reo. ver. item quod pupillus. ¶ Adde Paul.
de Caſt. hic ⁊ adde tu quod dictum Barto. hic dum dicit, relinqui
arbitrio iudicis, que dicantur perſone miſerabiles, non procedere
quando in iure eſſet expreſſum, que dicantur perſone miſerabiles.
Ita do. Maria. Soc. de foro compe. in c. ex tenore.

Vbi de criminibus agi oporteat. Rubr. XV.

LEX I.

1 ☞ Remiſſio vbi ⁊ quando habeat locum in criminalibus.
3 In criminalibus iuriſdictio poteſt prorogari, ⁊ quomodo proro-
getur per ignorantiam. nu. 4.
5 Uagabundus poteſt conueniri vbilibet, ⁊ quis ſit vagabundus.
numero 6.